



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1 Quomodo honestum se habeat ad uirtutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

recedatur. Est tamen aliquis motus uerecundia: praeveniens rationem, sicut & ceterarum passionum.

Ad III. dicendum, quod uerecundia non est pars temperantiae quasi intrans essentiam eius, sed quasi dispositiue se habens ad ipsam. Vnde * Ambr. prof. dicit in lib. de offic. quod uerecundia iacet prima temperantiae fundamenta, inquantum scilicet nocet horrorem turpitudinis.

Super Questionem centesimamquarta- gysimamquinta.

QVAESTIO CXLV.

De honestate, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de honestate. Et circa quatuor.

- ¶ Primo, Quomodo honestum se habeat ad uirtutem.
- ¶ Secundo, Quomodo se habeat ad decorum.
- ¶ Tertio, Quomodo se habeat ad utile, & delectabile.
- ¶ Quarto, Vtrum honestas sit pars temperantiae.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum honestum sit idem uirtuti.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod honestum non sit idem uirtuti. Dicit enim * Tullius in sua Rhetor. honestum esse quod propter se appetitur. uirtus autem non appetitur propter seipsam, sed propter felicitatem. dicit enim Philosophus in 1. Ethic. quod felicitas est praemium uirtutis & finis. ergo honestum non est idem uirtuti.

¶ 2. Praet. Secundum * Isidor. honestas dicitur quasi honoris status: sed multis alijs debetur honor quam uirtuti. nam uirtuti proprie debetur laus, ut dicitur in 1. Ethic. ergo honestas non est idem uirtuti.

¶ 3. Praet. Principale uirtutis consistit in interiori electione, ut Philosophus dicit in 8. Ethic.

honestas autem magis uidetur ad exteriorem conuersationem pertinere, secundum illud 1. ad Corint. 14. Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in nobis. ergo honestas non est idem uirtuti.

¶ 4. Praet. Honestas uidetur consistere in exterioribus diuitijs, secundum illud Eccl. 11. Bona & mala uita & mors, paupertas & honestas, utraq; a Deo sunt: sed in exterioribus diuitijs non consistit uirtus. ergo honestas non est idem uirtuti.

SED CONTRA est illud, quod * Tullius dicit in 1. de offic. & in 2. rhetor. diuidens honestum in quatuor principales uirtutes, in quas etiam diuiditur uirtus. ergo honestum est idem uirtuti.

RESPON. Dicendum, quod sicut * Isidor. dicit, honestas dicitur quasi honoris status. unde ex hoc uidetur aliquid dici honestum, quod est honore dignum.

num. Honor autem, ut supra dictum est, excellentiae debetur. Excellentia autem hominis maxime consideratur secundum uirtutem, quae est dispositio perfecti, ut dicitur in 7. * Physic. Et ideo honestum proprie loquendo, in idem refertur cum uirtute.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut * Philosophus dicit in 1. Ethic. eorum, quae propter se appetuntur, quaedam appetuntur solum propter se, & numquam propter aliud, sicut felicitas quae est ultimus finis: quaedam uero appetuntur & propter se, inquantum habent in seipsis aliquam rationem bonitatis, etiam si nihil aliud boni per ea nobis accideret, & tamen sunt appetibilia propter aliud, inquantum. scilicet perducunt nos in aliquod bonum perfectius: & hoc modo uirtutes sunt propter se appetendae. Vnde Tullius dicit in 2. * rhetor. quod quiddam est quod sua uirtute nos allicit, & sua dignitate trahit, ut uirtus, ueritas, scientia: & hoc sufficit ad rationem honesti.

AD II. dicendum, quod eorum quae honorantur praeter uirtutem, aliquid est uirtute excellentius, scilicet Deus, & beatitudo: & huiusmodi non sunt nobis per experientiam nota, sicut uirtutes, secundum quas quotidie operamur: & ideo uirtus magis sibi uendicat nomen honesti. Alia uero quae sunt infra uirtutem, honorantur inquantum coadiuuant ad opera uirtutis, sicut nobilitas, potentia, & diuitiae. Vt enim Philosophus dicit in 4. * Eth. huiusmodi honorantur a quibusdam, sed secundum ueritatem solus bonus est honorandus. Bonus autem est aliquis secundum uirtutem: & ideo uirtuti quidem debetur laus secundum quod est appetibilis propter aliud: honor autem prout est appetibilis propter seipsum: & secundum hoc habet rationem honesti.

AD III. dicendum, quod sicut supra dictum est, honestum importat debitum honoris. Honor autem est contestatio quaedam de excellentia alicuius, ut supra dictum est. Testimonium autem non profertur nisi de rebus notis. Interior autem electio non innotescit homini nisi per exteriores actus: & ideo exterior conuersatio habet rationem honesti secundum quod est demonstratiua interioris rectitudinis. Et propter hoc radicaliter honestas consistit in interiori electione, significatiue autem in exteriori conuersatione.

AD IIII. dicendum, quod quia secundum uulgarem opinionem excellentia diuitiarum facit hominem dignum honore, inde est quod quandoque nomen honestatis ad exteriorem prosperitatem transfertur.

ARTICVLVS II.

Vtrum honestum sit idem quod decorum.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod honestum non sit idem quod decorum. Ratio. honestum est quod proprie appetitur: sed decorum magis respicit conspectum cui placet. ergo decorum non est idem quod honestum.

¶ 2. Praet. Decor quaedam claritatem requirit, quae pertinet ad rationem gloriae: honestum autem respicit honorem. Cum ergo honor, & gloria differant, ut supra dictum est, videtur quod etiam honestum differat a decoro.

¶ 3. Praet. Honestum est idem uirtuti, ut supra dictum est: sed aliquis decor contrariatur uirtuti. unde dicitur Ezech. 16. Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. ergo honestum non est idem decoro.

SED CONTRA est, quod Apostolus dicit 1. ad Corint. 12. Quae in honesta sunt nostra, abundantior est honestate habet: honesta autem nostra nullius egent.

Secunda Secundae S. Thomae. V V 2 uocat

q. praece. 27. ad 2.

* lib. 7. text. 17. & 18. 10. mo 2. lib. 8. cap. 7. tom. 5.

lib. 2. de inuentione in fol. 4. ante fuscum librum

lib. 4. cap. 7. ante modum tom. 5.

in cor. artic. 4.

q. 103. art. 1.

infr. artic. 4. cor.

q. 103. art. 1. ad 3.

* 27. praece.